

AD ARTIC. CCIV.

ARGUMENTUM.

Ad delinquentes eò facilius puniendos, & administrandam justitiam, Officio cuiuslibet Magistratus judicia criminalia exercentis incumbit, certans ordinationem in puncto expensarum facere & publicare. Imprimis, quantum Accusator tum ad alendum, tum etiam ad custodiendum reum in singularios dies lictori solvere teneatur. Nam quod ad expensas alias, quae Aetnario, carnifici utpote suppliciorum executori, debentur, attinet, illas absque opere & incommodo Accusatoris Magistratus ex publico exsolvere tenetur.

EXEGESIS.

Quartuor sunt hujus Articuli membra : I. *Constitutio generalis in taxandis expensis judicialibus.* Cum enim interdum in causis criminalibus immodicæ expensæ postulentur, ideo expedie certam habere ordinationem de modo sportularum, quam omnes, qui in illo judicio criminali versantur, strictè observare tenentur, sic namque quisque intelliget, quantum sibi de jure debetur, & quantum is petere possit.

II. *Cuinam potestas datur talem ordinationem faciendi?* Respond. in hac ordinatione Carolina illud clare exprimitur, nempe, quod potestas hæc concessa sit Magistratui, qui judicio criminali præfic. Licet enim & in civilibus judicis officio competat determinare sportularum quantitatem, ut cuivis constet, quantum is dare, & quantum alter exigere valeat; tamen, cum in præsenti negotio saltem in Criminalibus occupati simus, hac vice etiam constitutio de moderandis expensis in judicio criminali injungitur Magistratui.

Ubi tria sunt notanda : (I) *Quodnam sit Objectum istius Constitutionis*, sive, quod idem est, de quibus expensis Magistratus judicio criminali præfectus, constitutionem facere possit : (a) De iis, quæ pertinent ad Rei alimenta ; Reus enim in carcere alendus est. Evidem, quantumvis communiter statuant, reum teneri sibimet ipsi de victu & aliis necessariis prospicere ac providere. Hoc tamen verum est, si reus satis instruetus sit facultatibus, unde vitæ subsidia habere possit. Quod si vero is fuerit pauper, tum Accusator, qui eum incarcerari fecit, si scili-

ccc